



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 62. Decretum contra Hæreticos a Venetis innovatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

§. LXII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1548.*Decretum contra Hæreticos a Venetis
innovatum.*

Verum hæc conventicula tam secreto *Thou hist.*
celebrari haud poterant, ut Reipu- *l. 4. n. 7.*
blicæ adeo bene ordinatæ, & providæ,
qualis est Veneta, vigilantiam effugere
valerent, hinc Senatores funesta prorsus
mala, quæ individuo nexu novitates in
Religionis materia introductas conse-
quuntur, veriti, decretum contra eos,
qui ejusmodi cætibus interessent, pro-
mulgarunt, illosque comprehendere jusse-
runt: igitur eorum duo Julius Tarvisanus,
& Franciscus de Rugo capti, ac
pronuntiata mortis sententia suffocati
perierunt: Okinus vero, Lelius, Soci-
nus, Pazula, Gentilis, Jacobus Clariensis,
Alciatus, Abbas Leonardus fuga sibi
consulentes, partim ad Helvetios, partim
ad Turcas, aut alias gentes secesserunt.
Porro crescente hæresis periculo Respublica
die vigesima Julii hujus anni edictum
quoddam innovare cogebatur, quod Anno
Christi millesimo quingentesimo vigesimo
primo jamjam condiderat, eo tempore, quo
in Brixienfi ditione non minus severe in
suspectos de hæresi inquiri jusserat, perinde
ac si venefici fuissent: nam hoc decreto omnibus

mnibus

Sæcul. XVI. A.C. 1548. omnibus injunctum, ut libros hæreticos, si quos tenerent, intra octo dierum spatium ad hoc Deputatis consignent, si secus fecerint, post sedulam in eos inquisitionem rei cum omni poenarum severitate castigandi denuntiabantur. Ut vero eo facilius ejusmodi homines detegerentur, eodem edicto cautum erat, ut non modo accusatores nunquam proderentur, sed etiam largis omnino præmiis augendi sint. Hoc edictum a Republica condebatur ad preces Nuntii Apostolici, addita tamen hac conditione, ut nec soli Episcopi, nec Inquisitores de hoc crimine cognoscere possent, sed Gubernatoribus, ac locorum Judicibus adhibitis ad hoc Tribunal appellare tenerentur, eo fine, ut testes examinarentur; de cetero autem sedulo caveant, ne sub Religionis obtentu Reipublicæ subditi divexarentur.

§. LXIII.

Venetorum fervor contra Paulum Vergerium.

Sleid. comm.
lib. 21. p. 749.
Maurocen.
hist. Venet.
l. 6.
Thu. l. 5 n. 7.
Spond. hoc
an. n. 23.

Haud segnius Religionis studium Veneti præseferiebant in causa Petri Pauli Vergerii Justinopolitani Episcopi; hic enim jam dudum de nova hæresi suspectus, tandem latens nequitiae venenum palam effudit: ast sacræ Inquisitionis